

ribus in locis de immutabilitate Dei nos commonefacit, dicendo e. g.: « *Non est Deus... filius hominis, ut mutetur* » (Num. XXIII, 19); — *Apud quem (Deum) non est trasmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* » (JAC. I, 17).

ARTICULUS V.

DE AETERNITATE DEI.

Definitio aeternitatis. — Acceptissima semper fuit et est, apud theologos et philosophos, definitio aeternitatis, a S. Boëtio tradita: « *interminabilis vitae tota simul ac perfecta possessio* » (De consol. phil. lib. V, prosa 6).

Declaratio definitionis. — In conceptu omnium aeternitas est duratio, seu permanentia in esse, perfectissima. Sed ut res aliqua eiusmodi duratione, seu permanentia, fruatur, oportet ipsam:

1) Semper fuisse semperque futuram esse, nimirum carere principio et fine. Res per se patet.

2) Non subdi successione i. e. mutationibus realibus; ac proinde non habere partes successivas reales, neque secundum substantiam, neque secundum accidentia. Omnis namque res quae secundum aliquam partem sui, substantialem vel accidentalem, existat, secundum aliam vero amplius aut adhuc non existat, evidenter perfecta non fruatur permanentia.

3) Haec autem omnia, non ex virtute aliena, sed ex virtute propria, ex sua ipsa natura seu essentia possidere. Et sane, si quis sibi confingeret ens ab aeterno creatum, atque in aeterno in eodem statu permansurum, sine ulla realium partium successione, videlicet sine ulla reali mutatione secundum accidentia, vel saltem secundum substantiam non ideo is haberet ens vera aeternitate praeditum. Ens confictum, utpote creatum, esset contingens, et upote contingens a necessario dependeret; unde permanentia eius non esset undequaque perfecta.

Itaque, quum in definitione aeternitatis dicitur « *interminabilis vitae... possessio* », nobis insinuat Aeternum (cuius

esse certe non est esse quodcumque, sed est esse nobilius, vivere) sic permanere in esse, nimirum tali modo esse obtinere, ut numquam incoeperit et numquam finem habiturum sit, sed principio (*termino a parte ante*) et fine (*termino a parte post*) careat. Quum adiicitur « *tota simul* », pellitur ab aeterno omnis successio, sive partium substantialium (quae unice sibi succedunt in corporibus), sive partium accidentalium (quae itidem sibi succedunt in spiritibus). Quum tandem subditur « *perfecta* », pellitur ab Aeterno quaevis dependentia ab alio.

THESIS — *Deus est aeternus.*

Prob. I. — Deus est infinite perfectus. Iam infinite perfectum omnes perfectiones simplices in se complecti debet. Sed aeternitas inter perfectiones simplices recensetur, etenim, ut patet ex dictis, nullum limitem, nullum defectum praesert. Ergo...

II. — Deus est aeternus: — 1) si caret principio et fine; — 2) si nullam successionem partium realium exhibet; — 3) si nullo modo ab alio dependet in suo esse. At Deus: — a) cum ex essentia sua sit esse, nempe existere, necessario semper extitit semperque extiturus est, unde caret principio et fine; — b) cum sit ens simplicissimum, repugnat partes successivas seu mutationes reales cuiusvis speciei ipsi inesse; — c) cum sit ipsum esse per se subsistens, simplicissimum, immutabile, repugnat ab alio quocumque modo dependere. Ergo...

Coroll. I. — Aeternitas, cum sit duratio sine successione, in se non admittit *praeteritum* et *futurum*, sed solum *praesens* seu *nunc*. Adnota tamen *nunc* aeternitatis quam maxime differre a *nunc* temporis. Illud est *nunc* stans et non fluens, est ipsa aeternitas, aeternitas autem est duratio perfectissima: contra istud continuo fluit ex futuro in praeteritum, est tantummodo pars, et quidem pars minima temporis, quod, sua vice, est infima inter durationes (Cfr. *Ontol.*).

Coroll. II. — Aeternitas, licet in se non admittat praeteritum et futurum, nihilominus, cum suo *nunc* perfectissimo, aequivalet omnibus temporibus realibus ac possibilibus, sci-

licet coëxistit omnibus successionebus praeteritis, a creatione mundi; coëxistet omnibus successionebus futuris; insuper coëxistere potuisset et posset aliis successionebus sine numero.

Coroll. III. — Soli Deo proprie competit aeternitas: caetera, etsi quandoque aeterna dicuntur propter eorum indefectibilem vel saltem diuturnam durationem, tamen nec sunt, nec queunt esse aeterna, sed tantum aeviterna vel temporanea.

Coroll. IV. — Qui aeternitatem Dei asserunt esse tempus nullis limitibus circumscriptum, h. e. sine principio et fine:

1) Tribuunt Deo successiones, mutationes quae nullo modo componi possunt cum absoluta eius necessitate, infinitate, simplicitate.

2) Coguntur admittere seriem infinitam saeculorum, annorum... ad hanc usque diem effluxisse; alioquin dies hodierna nunquam adfuisset. Atqui repugnat seriem infinitam saeculorum... effluxisse; illa quippe est infiniti natura, ut exhauriri nunquam possit.

3) Aequivocatione laborant: ipsi enim, assueti durationi successivae, seu tempori, in qua mortalitas nostra versatur, concipiunt durationem illam perfectissimam, quae aeternitas audit, eodem modo quo tempus concipiunt. In aeternitate percipienda (observat Toletus, in Summa th. p. I, q. X, a. 1), accidit intellectui illud ipsum quod interdum accidit sensui circa proprium obiectum. Sensus quippe interdum applicat obiecto motum, qui minime illi inest; et hoc vel ratione medii, quod movetur, sicut columna, visa per mediam flammam mobilem, videtur moveri; vel ratione organi ita affecti, ut faciat res apparere motas. Sic aeternitas semper stans a nobis videtur per tempus intermedium, ideoque nobis apparet fluens et successiva.

Obi. I. — De Deo praedicatur non solum praesens, sed etiam praeteritum et futurum.

R. — *Dist.* De Deo praedicatur non solum praesens, sed etiam praeteritum et futurum, quia ipse in se *formaliter* continet praeteritum et futurum, scilicet subditur realibus successionebus, *nego*; quia ipse in se *eminenter* continet praeteri-

tum et futurum, scilicet, semper idem perseverans, coëxistit omnibus rebus, quae iam sibi successerunt, et coëxistet omnibus rebus, quae in posterum sibi succedent, *conc.* — Quamquam Deus, inquit S. Augustinus, « non recipiat (formaliter) *fuit* et *erit*, sed tantum *est*, tamen non mendaciter dicimus (de ipso) et fuit, et erit, et est... Fuit, quia nunquam defuit; erit, quia nunquam deerit; est, quia semper est. » (*Tract.* 99 in *Evang. S. JOANN.* n. 3).

Obi. II. — Actiones Dei, aliae sunt praeteritae, aliae sunt futurae. Ergo in Deo locum habent formaliter praeteritum et futurum.

R. — *Dist. antec.* Actiones Dei, aliae sunt praeteritae, aliaeque sunt futurae ratione termini nempe ratione effectus, *conc.*; ratione principii, nempe ratione Dei agentis, *nego* et *nego cons.* (Cfr. pag. 320).

Obi. III. — Deus hodie diutius vixit quam heri. Ergo aeternitas Dei est et ipsa duratio successiva, habens praeteritum et futurum.

R. — *Dist. antec.* Deus hodie diutius vixit quam heri, quatenus hodie coëxistit longiori tempori, maioribus successionebus quam heri, *conc.*; quatenus hodie acquisivit vel egit quidpiam, quod iam non possideret vel ageret heri, *nego* et *nego conseq.*

ARTICULUS VI.

DE IMMENSITATE DEI.

Immensus dicitur Deus, non quia sine mensura h. e. in infinitum extendatur (quaecumque extensio repugnat enti simplici, atque a fortiori enti simplicissimo); sed quia ita existit, ut, si res, si spatia in infinitum auferentur, ipse semper illis intime praesens esset, sine ulla sui mutatione, cumque totalitate suae essentiae.

THESIS. — *Deus est immensus,*

Prob. I. — Ex eius infinitate; nam cum Deus habeat esse infinite perfectum, necessario etiam frui debet perfectione

praesentem se exhibendi, modo dicto, cunctis rebus sive re-
libus, sive possibilibus; perfectio enim haec nulla imperfe-
ctione commixta apparet.

II. — Ex eius immutabilitate; nam si Deus adesset cum
essentia sua tota cunctis rebus locisve existentibus ac pos-
sibilibus, mutari deberet quotiescumque uni ex illis, quibus
adhuc non adest (iuxta hypothesim), adesse vellet.

III. — Ex eius actione. Et sane res existentes existunt
quia Deus eas creavit easque conservat in esse. Praeterea
omnes res possibles, quae certo sunt numero infinitae, non
sunt possibles nisi quia ens necessarium, Deus, eas creare
et conservare potest. Age vero, tam creatio, quam conservatio
rerum expostulant immediatam actionem Dei; siquidem, uti
suo loco demonstrabitur, nonnisi necessarium, infinitum, omni-
potens eas explere potest. Sed actio divina realiter non di-
stinguitur a divina essentia, quae simplicissima est. Ergo
ubicumque actio divina sese manifestat vel manifestare potest,
ibi tota essentia Dei inveniri debet. Sed actio divina sese
manifestat in universo mundo actualiter existente, itemque
sese manifestare potest in infinitis aliis mundis mere possi-
bilibus. Ergo...

Coroll. I. — Iam intelliges quantopere a veritate disce-
dant effutientes Deum esse ubique, non per *essentiam*, sed
solum per *sapientiam*, quatenus omnia sunt intellectui eius
nuda et aperta; et per *potentiam*, quatenus omnia subduntur
eius voluntati.

Coroll. II. Intelliges etiam quomodo interpretandae sint
locutiones illae, quibus Deus dicitur *accedere*, *venire* ad crea-
turas, vel ab eis *recedere*, eas *relinquere*, etc... Haec procul
dubio eo pertinent, ut exprimat Deum, non essentia, sed
operatione quadam speciali (quae tamen nullam inducat muta-
tionem realem in ipsum) incipere vel desinere esse in creaturis.

Coroll. III. — Soli Deo competit immensitas. Ipsi Angeli
perfectiores, utpote finiti quoad esse, nonnisi loco finito prae-
sentes fieri possunt (Cfr. pag. 315-6). Scite igitur scholastici
dicunt Angelos esse in spatio *definitive*, Deum vero *replete*.

Coroll. IV. — Qui immensitatem Dei cum spatio infinito
confundunt:

1) Tribuunt Deo extensionem, h. e. compositionem quan-
titativam, divisibilitatem, etc.; sicque in pantheismum ma-
terialisticum necessario prolabuntur.

2) Velint, nolint, materiam infinitam actu admittere
debent. Et vero, spatium est quid consequens materiae na-
turalem existendi modum; unde spatium infinitum arguit
existentiam materiae infinitae. Atqui materia actu infinita
minime admitti potest (Cfr. pag. 311).

3) Decipiuntur, non valentes discriminare modum prae-
senticum proprium extensorum, a modo praesentiae proprium
inextensorum, spirituum ac praesertim Dei. — Ens abso-
lutum, perfectissimum, causa caeterorum, tam realium,
quam possibilium, evidenter obstringi nequit limitibus et
relationibus praesentiae propriae entis imperfectissimi, quale
est omne extensum. Merito igitur scripsit D. Augustinus:
« In eo ipso quod Deus dicitur ubique diffusus, carnali
resistendum est cognitioni, et mens a corporis sensibus
avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum
per cuncta diffundi, sicut fumus, aut humor, aut aër,
aut lux ista diffunditur..... Est ergo Deus per cuncta dif-
fusus, non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusus,
ita ut in dimidio mundi sit dimidius et in alio dimidio di-
midius, atque ita per totum totus, sed et in solo coelo totus,
et in sola terra totus, et nullo contentus loco, sed in seipso
ubique totus » (*Epist. ad Dardan.*).

Obi. — Nescimus quomodo Deus esse possit extra mun-
dum, ubi non est spatium ad existendum.

R. I. — Deus non indiget spatio ad existendum: ipse enim
non est extensus, sed causa efficiens ultima omnis extensionis,
atque proin etiam omnis spatii. Dicendum igitur Deum esse
extra mundum eodem modo quo erat ante mundi creationem.
« Ubi erat Deus, antequam mundus fieret? Ubi nunc est.
Non est quod quaeras ultra, ubi erat; praeter Ipsum nihil
erat: ergo *in seipso erat* » (S. BERNARDUS, *De consid.* lib. V,
c. VI).

II. — Extra mundum non est spatium reale, *conc.*, ete-
nim, ut paulo ante animadvertimus, spatium consequitur
naturalem materiae existendi modum, unde ubi non est ma-

teria realis, nec spatium reale esse potest. Extra mundum non est spatium possibile, scilicet dari nequit aliud spatium, *nego*; enimvero, cum materia sit per se indifferens ad quamlibet habendam quantitatem, in infinitum augeri potest cumque ipsa spatium.

Inst. — Repugnat spatium *possibile* in se quemquam recipere.

R. — Id clare et perspicue videtur. At cum dicimus essentiam Dei praetergredi limites mundi spatiique realis, non nobis in animo est locare Deum in spatio aliquo, et eo minus in spatio mere possibili, tanquam in receptaculo; sed hoc unum significare volumus, nempe essentiam Dei non limitari mundo et spatio reali: unde, quin ulli mutationi intrinsecae subiiciatur, ipsam adesse posse aliis mundis aliisque spatiis in infinitum, dummodo haec ad existentiam vocentur (1).

(1) Difficultates quae fieri solent contra immensitatem atque aeternitatem Dei, proprie enascuntur ex hoc quod (assueti rebus finitis et compositis) homines loquuntur de infinito et simplicissimo Deo modo ipso quo loquendum tantum de rebus finitis et compositis. Hinc proderit haec semper memoria tenuisse: « Ces sortes de questions, qui paraissent si embarrassantes, ne le sont qu'à cause qu'on s'engage mal à propos à y répondre; au lieu d'y répondre, il faut les supprimer. C'est comme qui demanderait de quel bois est une statue de marbre, de quelle couleur est l'eau pure, qui n'en a aucune; de quel âge est l'enfant qui n'est pas encore né.

» Que deviennent donc toutes ces idées d'immensité qui représentent Dieu comme remplissant tous les espaces de l'univers, et débordant infiniment au delà? Ce ne sont point des idées de mon esprit attentif sur lui-même; ce sont au contraire des imaginations ridicules. A proprement parler, Dieu n'est ni dedans ni dehors, qui sont des termes de mesure.

» Toute cette erreur grossière vient de ce que les idées d'éternité et d'immensité nous surmontent par leur caractère d'infini, et nous échappent par leur simplicité. On veut toujours rentrer dans le composé, dans le fini, dans le nombre et dans la mesure. Ainsi on imagine, contre ses propres idées, une fausse éternité qui n'est qu'une suite ou succession confuse de siècles à l'infini, et une fausse immensité qui n'est qu'une composition confuse d'espaces et de substances à l'infini; mais tout cela n'a aucun rapport à l'éternité et à l'immensité véritable. Ces successions de siècles, ces assemblages d'espaces remplis par des substances sont divisibles, et par conséquent ont essentiellement des bornes, quoique je ne me représente pas actuellement et distinctement ces bornes, en considérant ces deux objets. Ainsi, quand je leur attribue l'infini, je me

ARTICULUS VII.

DE ACTIVITATE DEI

Activitas Dei aut exercetur ad intra h. e. immanenter, aut exercetur ad extra h. e. traenseunter. Prima complectitur facultates intelligendi et volendi; altera tota absolvitur in facultate exequendi quod voluntas imperat et ad quod scientia dirigit. Haec ultima facultas, quae *potentia* nominatur, in Deo realiter non distinguitur a voluntate intelligentiaque, sicut voluntas intelligentiaque realiter non distinguuntur ab essentia (Cfr. pag. 313-4); attamen licet, quin etiam expedit ipsas singillatim contemplari, tanquam si realiter distinguerentur, ut clarius menti nostrae innotescant.

§ I. — DE INTELLECTU.

Deum summa intelligentia pollere suadent: — 1) molitio solertissima huius mundi; — 2) intellectus noster et An-

contredis moi-même par distraction, et je dis une chose qui ne peut avoir aucun sens.

» La seule véritable manière de contempler l'éternité et l'immensité de Dieu, c'est de bien croire qu'il ne peut être en aucun temps, ni en aucun lieu; que toutes les questions de temps et de lieu sont impertinentes à son égard; qu'il y faut répondre, non par un réponse catégorique et sérieuse, mais en se rappelant leur absurdité, et en leur imposant silence pour toujours. Ces deux choses, savoir, l'éternité et l'immensité, ont entre elles un merveilleux rapport: aussi ne sont-elles que la même chose, c'est-à-dire l'être simple et sans bornes. Écartez scrupuleusement toute idée de bornes, et vous n'hésitez plus par de vaines questions.

» Dieu est: tout ce que vous ajoutez à ces deux mots, sous les plus beaux prétextes, obscurcit au lieu d'éclaircir. Dire qu'il est *toujours*, c'est tomber dans une équivoque, et se préparer une illusion; *toujours*, peut vouloir dire une succession qui ne finit point, et Dieu n'a point une succession de siècles qui ne finisse jamais. Ainsi, dire qu'il est, dit plus que dire qu'il est *toujours*. Tout de même, dire qu'il est *partout* dit moins que dire qu'il est; car dire qu'il est *partout*, c'est vouloir persuader que la substance de Dieu s'étend et se rapporte localement à tous les espaces divisibles: or, l'infini indivisible ne peut avoir ce rapport local de substance avec les corps divisibles et mesurables » (FÉNELON, *De l'existence de Dieu*, p. II, chap. V, art. IV).

gelorum, totidem effectus causae primae, nempe Dei; — 3) ipsa Dei infinita perfectio, necessario includens etiam perfectionem illam simplicem, quae est intellectio; — 4) eius simplicitas absoluta; etenim talis simplicitas quam maxime Deum elongat a materia et potentialitate; res autem, quo magis elongantur a materia et potentialitate, eo magis perfecte cognoscunt. Non est igitur existentia, in Deo, intelligentiae, quae nos speciali modo occupare debet; sed potius explicatio eius, videlicet quodnam sit eius obiectum et quomodo illud apprehendat.

THESIS. — *Deus intelligit, imo comprehendit seipsum et omnia quae ab ipso distinguuntur, sive aliquando existentia, sive tantum possibilia.*

Universa thesis nullo negotio probari potest ex infinitate atque immutabilitate Dei. Si enim ab aeterno Deus non intelligeret (intellectione quidem comprehensiva, nempe adaequata) seipsum ceteraque alia a se distincta, sive aliquando existentia, sive tantum possibilia, ipse nec infinite perfectus, nec absolute immutabilis esset; posset enim singulis momentis novas cognitiones acquirere. — At, praeter argumentationem hanc generalem, lubet alias argumentationes instruere, quae thesim per partes probent.

Prob. I p. (*Deus intelligit... seipsum*). — Revera, ut Deus seipsum intelligat, sufficit essentiam divinam intime praesentem fieri intellectui divino, ut eum (pro nostro concipiendi modo) determinare possit ad sui intellectionem. Atqui, cum Deus sit ens simplicissimum, non solum essentia eius semper est intime praesens intellectui, sed est unum idemque cum ipso, necnon cum intellectione. Ergo...

Prob. II p. (*imo comprehendit seipsum*). — Deus seipsum comprehendit, si seipsum intelligit perfecte, scilicet quantum est intelligibile. Iam Deus ita seipsum intelligit. Et sane divina intellectio, cum idem sit ac divina essentia, tanta est, quanta est huiusmodi essentia, scilicet infinita. Atqui si divina intellectio tanta est, quanta est divina es-

sentia, scilicet infinita, Deus seipsum intelligit quantum est intelligibilis. Ergo...

Prob. III p. (*et omnia quae ab ipso distinguuntur*). —

I. — Deus, cum sit ens absolute necessarium, est causa prima caeterorum, tam existentium, quam possibilium. At Deus perfecte intelligit, scilicet comprehendit seipsum. Ergo perfecte intelligit, scilicet comprehendit seipsum etiam veluti causam primam caeterorum. Sed repugnat Deum comprehendere seipsum veluti causam primam caeterorum, si una cum seipso non comprehendit caetera; Deus enim non agit ignorans. Ergo...

II. — Si Deus non comprehenderet etiam cetera omnia quae ab ipso distinguuntur, impossibile illi esset mundum sapienter ac certo in suos fines dirigere; unde providentia eius foret incerta, vacillans, fallibilis: quod repugnat.

III. — Auctoritas divina hanc veritatem inconcusse demonstrat, etenim in Eccl. (XXXIX, 25) e. g. legitur: « *A saeculo usque in saeculum respicit (Deus) et nihil est mirabile in conspectu eius* »; et in Apostolo (Hebr. IV, 13): « *Neque est ulla creatura invisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius* ».

IV. — Auctoritas humana auctoritati divinae perfecte cohaeret. Et sane gentiles de futuris liberis, quae profecto sunt cognitu difficiliora, oracula consulebant; Hebraei de his a vero Deo eiusque prophetis responsa petebant; christiani quoque de his hodiedum sanctos viros expostulant, Deumque continuo precantur ut *noxia cuncta submoveat et omnia nobis profutura concedat*.

Coroll. I. — Errant itaque, post Ciceronem, sociniani ac deistarum pars maxima, autumantes Deo inexploratas esse actiones hominum libere futuras.

Coroll. II. — Deus omnia quae intelligit, intelligit intuitu unico, unica specie, seu idea, quae non nisi ratione distinguitur a divina essentia. Quum vero dicitur Deum *primario* per essentiam suam intelligere seipsum, et solum *secundario* intelligere alia a se distincta, id non sibi vult Deum duplici actu seipsum aliaque a se distincta intelligere; sed essentiam Dei per se, ratione sui, esse obiectum scientiae divinae; cetera

solummodo quia sunt participationes, imitationes *deficientes* eiusdem essentiae.

Coroll. III. — Deus intelligendo est omnino independens. Enimvero ipse non haurit species repraesentativas rerum ex rebus ipsis, more hominum; nec illas recipit ab alio una cum natura, more Angelorum; sed illas advenit in essentia sua, quinimmo ipsamet essentia sua est species repraesentativa omnium rerum.

Schol. I. — Quamquam scientia Dei, quippe quae idem est ac essentia divina, in se simplicissima sit; ratione tamen habita ad obiecta in quibus terminatur, multiplex est et multifariam dividitur.

Inter divisiones eiusmodi meminisse iuverit percelebrem (post Fonseca et Molinam) scientiae *simplicis intelligentiae*, scientiae *visionis* et scientiae *mediae*. — Dicitur scientia *simplicis intelligentiae* illa, qua Deus spectat res quatenus sunt mere possibles. — Dicitur scientia *visionis*, qua Deus spectat res aliquando existentes, res scilicet praeteritas, praesentes, et *absolute* futuras. — Dicitur tandem scientia *media*, qua Deus spectat res *conditionate* futuras (*futuribiles*), scilicet res quae quidem existentiam non habebunt, sed haberent si poneretur quaedam conditio.

Schol. II. — Ratum fixumque est medium scientiae Dei, videlicet speciem, ideam, qua Deus omnia sibi repraesentat et cognoscit, esse ipsam eius essentiam. Sed quomodo id contingat, quomodo scilicet essentia Dei res diversas repraesentet, partim convenit inter theologos et partim controvertitur.

Convenit quidem essentiam Dei: — 1) esse speciem repraesentativam *intrinsece* possibilem, quatenus est perfectio infinitis modis imitabilis; — 2) esse speciem repraesentativam *extrinsece* possibilem, quatenus tanta efficacia pollet, ut infinitis suis imitationibus existentiam largiri queat; — 3) esse speciem repraesentativam eorum quae *necessario* fiunt, quatenus est causa creans res mundanas, eas certis viribus instruens aptoque ordine ita disponens, ut, necessitate naturae agendo, non nisi effectus determinatos producant, habentes nexum necessarium cum suis causis proximis atque per ipsas cum causis remotis et remotissima, Deo. Sed quum

agitur de modo quo divina essentia possit esse species repraesentativa, qua cognoscat Deus futura *libera* sive absoluta, sive conditionata, theologo in diversas sententias abeunt. — Non pauci contendunt Deum in seipso invenire speciem repraesentativam actionum liberarum, quatenus est causa voluntatis creatae, quae, sua vice, est causa actionum quas diximus. Sed actiones liberae, utpote liberae, non habent nexum necessarium cum suis causis, ita ut, per istarum causalitatem, illae repraesentari et cognosci possint *certo*, ut perfectissimam Dei sapientiam decet. — Alii alias sententias proferunt. Cum vero sententiae istae videantur necessitatem scientiae liberorum in Deo potius comprobare, quam modum eiusdem scientiae nobis adaperire, remissa ad theologos earum disquisitione, malumus statim cum Aspostolo repetere: « *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei; quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius!* » (*Epist. ad Rom.*, c. XI, v. 33).

Obi. I. — Quae Deus praenoscit futura, necessario evenient. Sed quae necessario evenient, non evenient libere. Ergo, aut Deus non praenoscit futura, aut libertas creaturarum evanescit.

R. — Quae Deus praenoscit futura, *necessario* i. e. certo, infallibiliter evenient, *conc.*; quae Deus praenoscit futura, *necessario*, i. e. exclusa creaturarum libertate, evenient, *nego*. Scientia Dei se habet ad futura, eodem modo quo scientia nostra se habet ad praesentia; et sicuti, e. g. ex hoc quod ego videam aliquem nunc scribere, infertur quidem ipsum certo scribere, non tamen necessario; ita ex hoc quod Deus praenoscit aliquem scripturum, infertur quidem hunc certo scripturum, non tamen necessario.

Obi. II. — Si Deus cognoscit alia in essentia sua, ea non cognoscit in seipsis.

R. — *Dist.* Si locutio *in seipsis* denotat medium cognitionis, *conc.* Deum non cognoscere res a se distinctas in seipsis; si vero dicta locutio denotat terminum cognitionis, nempe obiectum eius, *nego*, etenim Deus per essentiam suam perfectissime cognoscit res a se distinctas ut in seipsis sunt, vel essent, si crearentur.